

3



ANTITHESIS PROPOSITI  
TIONUM DECEM ET OCTO: DE PECCATO  
RELIQUO IN RENATIS / WITTENBERGE  
DISPUTATARUM / POST EOLLO-  
LOQUIUM WORMA-  
TIEN.



# ANTITHESIS PRO-

POSITIONVM DECEM ET OCTO DE PECCATO

reliquo in renatis Vuitenbergæ disputa-

tarum, post colloquium Vuors-

matien.

## I



X APPERTISSIMIS SACRIS SCRIPTVRIS CVM VET-  
RIS TUM NOVI TESTAMENTI, ECCLESIA SANCTA & CATHOLICA PA-  
TRESQ; AB EA RECEPTI, HACTENUS SEMPER DOCUERUNT, Q; IN RENAT-  
TIS NULLUM SIT RELIQUUM PROPRIÆ PECCATUM.

## II

**V**Erenati in Christo sic liberi sunt à macula peccati, ut gratia Christi preueniente, cooperante & subsequente, adiuti, possint legi Dei satisfacere, prò modo uiatoris & quantum Deus pro statu huius uitæ, ab eis requirit, ut sint irreprehensibiles apud Deum, ambulantes in mandatis eius sine querela.

## III.

**N**Eç ob id amittitur discrimen inter iustitiam philosophicam, & ius-  
titiam fidei, quæ enim participatio iustitiae ueræ cum iniurias  
aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Be-  
lial? aut quæ pars fideli cū infideli aut quis consensus templo Dei cum ido-  
lis? Necç per id obscuratur doctrina de iustitia fidei, quin potius decoratur,  
dum renati in fide ministrant uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scien-  
tia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia au-  
tem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fra-  
ternitatis charitatem, quatenus fides eorum fructifera sit. Et qui his fructis  
bus carent nō habent partem in regno Christi. Quia iniusti sunt, non enim  
qui credit tantum iustus est: sed qui facit iustitiam iustus, ut inquit disci-  
pulus ille Christo dilectus. Et quis nisi mente captus, audet dicere, Euang-  
elium obrui horribili caligine, per hoc quod renati satisfaciunt legi Dei?  
Quinimo illustratur & mirum in modum honore afficitur, quando Euang-  
elium fructificat & crescit, quando ut filij lucis, renati ambulant, & ut lu-  
minaria in medio prauæ nationis, quando fidem ostendunt per obedien-  
tiam legis Dei, ob quem finem lex præcipue data est.

## III.

Cum

**C**Vm uocula peccatum uarie usurpetur, in sacris literis, erat prius dis-  
cūdenda q̄ definienda, & cum sit noua definitio à patribus non usita-  
ta, merito à Catholicis ut suspecta rejecitur, & iure quidem. Nam defectus  
aut inclinatio mala in renatis nequaq̄ est proptie peccatum, ut author defi-  
nit, non enim offendit Deum nec promeretur iram Dei & æternas poenas.  
Alioqui renatus perpetuo peccaret, siccq; esset sub Lege, & peccatum ei do-  
minaretur, contra Apostolum aperte. Et quomodo iustis redderet dominus  
nous coronam iustitiae in die illa iustus iudex si defectus relictus & inclina-  
tio proprie esset peccatum offendens Deum: qui cuicq; reddet iuxta opera  
eius. Si autem iste defectus & inclinatio offendit Deum in renatis, ac iram  
dei promeretur, & æternas poenas, sequitur renatos semper offendere  
Deum, & in ira Dei esse, filios diaboli & tenebrarum. Vbi igitur gratia  
Christi: ubi meritum effusionis sanguinis preciosi eius: ubi ablutio & ubi  
sanctificatio in baptismo in nomine Christi: Necq; relevat definitore par-  
ticula adiecta nisi fuerit facta remissio seu condonatio, cum illa indubie sit  
plenissima facta in baptismo, & tamen audet dicere, remanentem adhuc  
defectum & inclinationem uere peccatum esse, promerentem iram Dei, &  
æternas poenas. Vnde consequitur renatum non uere ablutum, & sanctifi-  
catum, & simul condonatum peccatum, non esse condonatum. Et quid  
absurdius dici possit & contumeliosius in Christum ipsum & uel oportet  
asserere renatum semper esse sub peccato, in ira & offensa dei, semper sibi co-  
donari peccatum, & ita simule esse filium dei & diaboli, lucem & tenebras,  
peccatorem mortalem, & iustum, Quæ manifeste pugnant & aduersan-  
tur scripturis, sacris & recte rationi, In nunc gloriabundus & iacta te ueram  
& perspicuum definitionem peccati reperisse, cum nihil minus feceris;

## V.

**L**Icet renati illuminentur lumine supernaturali fidei recte, cui nullum fal-  
sum subest, manet ramen in eis ignorantia multarum rerum etiam coe-  
lestium, inter peccati Originalis reliquias, quæ tamen ignorantia non offi-  
cit eorum saluti. Nam quæ necessario credenda sunt, docentur per eccles-  
iam & ecclesiæ ministros debitos, absq; omni dubitatione de Deo horri-  
bili. Quandoquidem ecclesia columna est omnis ueritatis, quæ à spiritu  
ueritatis edocta errare in fide nequit, iuxta Christi domini nostri promis-  
sionem de spiritu ueritatis mittendo Apostolis, ut maneat in æternum  
apud fideles, docturo eos omnē ueritatem. Defectus uero timoris & amo-  
ris erga Deum & multi uiciosi impetus, non nocent renatis. Dumodo nō  
placuerint eis, sed gratia Dei illis reluctantur, iam ipsis non in culpam sed  
in meritum hæc pugna à Deo deputatur, qui est omnium bonorum remu-  
nerator, probe cognoscens figmentum nostrum et fragilitatem: paratus  
etiam suis auxiliari inuocantibus se in ueritate. Cum sit pater et consolator

A n misero-

miserorum, ut sacra scriptura passim de eo tradit, & signanter apparet in Apostolo Paulo: quando luctabatur cum angelo satanæ fese collaphisante, & ter deprecante dominum ut discederet a se. Qui recepit a domino responsum sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur.

## VII.

**O**MNES renati experiuntur solum item noti esse ociosum, sed parere motus uiciosos, plus tamen in uno quam alio. At isti motus quantumcumque uiciosi fuerint, eis minime nocent, immo exercitium sunt uirtutis, si ipsis per gratiam spiritus sancti, & liberum arbitrium, resistatur. Dummodo peccatum non regnet in corpore eorum mortali, ad obediendum concupiscentijs eius, Sed gratia Christi p[ro]p[ter]e uincunt eos motus: recepturi a Deo coronam militibus Christi debitam, luxta illud beatissimi apostoli in apoca. Qui uicerit dabo ei coronam uitæ.

## VIII.

**F**OMES peccati, & motus inde orti in renatis non sunt sua natura id est proprie & uere peccata. Sic quod offendant Deum, iramque dei, proximeantur. Dummodo tamen renati eis non consentiant, quia omne peccatum in renatis est uoluntarium. Necque opus habent condonatione ulla, sed premium debitum est repugnatibus fortiter, luxta illud Apostoli. Nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Et alibi idem inquit Gloria & Honor omni operanti bonum.

## VIII.

**P**ORRO similitudo hæc claudicans de Magnete adducta, nihil officit discutis nostris, necque ullo pacto ad institutum conducit. Nouimus quidem magnetis uirtutem & attrahendi & repellendi ferrum. Sed indocte unius somiti naturam et uirtutem Magnetis comparat, qui tamen fomes in renatis non est proprie peccatum, ut supra autor definiuit peccatum.

## IX.

**S**ANCTI Prophete, & Apostoli tribuunt quidem iustis peccatum. Luxta Cöscilij Milleuitani explicationem, non tamen tale peccatum, quod Deum offendit, seu meretur iram Dei, & æternas poenas, sed potius iniusto & impio. Si uero tale peccatum fecerint iusti, post desinunt esse iusti. Ex diametro siquidem iustus et peccator in sacris discernuntur literis.

## X.

**N**EQUAQUAM manet natura peccati iti recens renatis, quibus omnis culpa, & æterna pena, merito passionis Christi est remissa, & gratia spiritus sancti abunde infusa. Quo nam pacto culpa mortal is & charitas spiritus sancti fese in eodem homine compatiuntur? Nemo enim simul filius dei esse

esse potest & diaboli. Nemo simul dignus morte æterna, & vita perpetua, censeri debet. Et si quis acutius perspiciat inueniet, hanc propositionem, aperte contradicere mox precedenti.

## XI.

**S**i perplexa & plane erronea, inuoluta, ac ambigua, faciliora & planiora sunt. Vera dixit disputator. Sed quis credet eis. Quid autem materiale & formale peccati rehicit; non modo doctoribus ecclesiæ, sed propriè etiam repugnat sententiæ. Et dum sic perrexit: Deum faciet autorem peccati, cum Florianis hæreticis.

## XII.

**E**T SI in renatis relicta sit ignorantia, & caligo in mente, in uoluntate quoque & appetitu sensu concupiscentia mala, pœna scilicet peccati Originalis, repugnans Legi Dei, non tamen opus est renato, petere huius gratia condonationem: nisi concupiscentia illa conceperit, & pepererit peccatum, quando semel ei tota culpa dimissa est in baptismo. Cumque Dei dona iuxta Apostolum sint sine pœnitentia, & ut iureconsulti rite inquiunt. Principis beneficium decere esse mansurum, concedimus etiam cum beato Augustino manere infirmitatem in renatis, ut sepius peccent etiam iusti, opusque habentes oratione quotidiana. Dimitte nobis debita nostra propter infirmitatem, quatenus tamen illa inducit ad peccandum, nemo tamen orat renatus, ut Deus dimittat sibi ignorantiam & concupiscentiam inuincibilem illam: ex peccato Originali dimisso reliquit, sed eam cum gemitu tolerat, Orans Deum pro gratia sua ne ei peccando consentiat.

## XIII.

**Q**VOTIDIECUM ordimur orationem ad Deum, occurrit quidem nobis orantibus, agnitus propriè indignitatis; quæ tamen non est peccatum, cum sit Deo grata, ac uia ad impetrandam gratiam, aut petitum, in Publico liquet. Quoniam Deus superbis resiliit, humilibus autem dat gratiam, & iustus à principio accusator est sui. Huncque orandi modum omnes sancti tenuerunt nouæ & ueteris Legis: Abraham scilicet David, Daniel, ac Apostoli. Credimus autem orationes nostras exaudiri propter Christum filium Dei potissimum. Nostra tamen peccata, & indignitas, sepe impediunt nos, ne exaudiatur à Deo. Multum enim ualet deprecatio iusti assidua; ut Apostolus Iacob, testatur. Oratioque impiorum execrabilis est. Et Esaias Propheta in persona domini inquit. Cum multiplicaueritis Orationes uestræ, non exaudiem uos, quia manus uestræ sunt sanguine plene, & cum extenderitis manus uestræ auertam oculos meos à uobis.

## XIV.

**R**Enati utiq*z* iusti norunt suam infirmitatem, & pugnam carnis contra spiritum, ac concupiscentiam malam inclinantem ad peccatum, ideoq*z* se muniunt armis spiritualibus, eidem reluctando, per orationem deuotam, perq*z* ieunium, castigando corpus suum, ut spiritui obediatur, et per meditationem diuinæ legis, atq*z* dominicæ passionis contemplationē. Idq*z* quotidianie in sacratissimo illo, incruento, mysticōq*z* missæ sacrificio, quod offertur in memoriam mortis Christi, qui dixit, Confidite ego uici mundū, in quo solo catholici gloriantur, se peccatum uincere posse.

## XV.

**S**Ero tandem & probe hic sentiunt Vuitembergeñ, non omnem concupiscentiam hominis, esse malam, cum sint quedam appetitiones inditæ à Deo ac laudabiles, contra quosdam temerarios uestros concionatores & indoctos qui omnem concupiscentiam contendunt esse prohibitam, lege Dei, grandeq*z* peccatum esse cōcupiscentiam cibi et potus, nedum in adulstis, uerum etiam in pāvuulis, qui nec dum per ætatem fari queunt, ac rationis usum nōdum nacti sunt, Quis unq*z* talia audiuit paradoxas? Mala autē concupiscentia carnis contra spiritum, licet sit poena peccati in renatis, et ad peccatum inclinet, non tamen est proprie uere et formaliter peccatum, nisi uoluntas eidem consenserit,

## XVI.

**I**Nuocatio in dubitatione. Hoc est cum mens dubitat, an Deus tibi inuocanti sit propicius, pia ac Christiana est, nequaquam autem academica & impia, ut Vuitembergeñ, afferendo delirant, atq*z* uerus cultus Dei existit, Idq*z* facile ex literis sacris probari poterit. Num Iohel Propheta domini, exhortans populum ad poenitentiam agendum, in ieunio, fletu & planctu, et conuersione ad dominum Deum, academicus & impius erat? dubitans an Deus ignoscereb<sup>t</sup> populo & an orationem sacerdotum orantium pro populo, susciperet, quoniam dubitantis sermonem adiecit, dicens. Quis scit si couertatur et ignoscatur Deus, & relinquat post se benedictionem. Et similiter Niniuitæ alioqui impij, at cum crediderunt longe predicatori in domino, & predicauerunt ieunium, uestiti saccis à maiore usq*z* ad minorem, clamantes ad dominū in fortitudine, cōuersiq*z* de via sua mala p*ij* fuerunt. Quia uidit Deus opera eorum, & misertus est eis, & tamē orando & ieunando dubitarunt an Deus foret eis propicius. Et sic dicētes, Quis scit si conuertatur et ignoscatur Deus, & reuertatur à furore iræ suæ & non peribimus. Si inuocatio hęcerat academica & impia, qui factum est ut Deus piorum, exaudierit uota eorum, qui impie petebant, cum multis alijs locis concordantibus,

## XVII.

**F**Atemur quoq*z* fideles inuocando Deum oportere, per mediatorē Christum petere, & in fide recta postulare, nihil Hesitantes. Quod Deus sit bonus

bonus, benignus, misericors, patiens, & multæ misericordiæ: quodq; in-  
uocari uelit, & tibi inuocanti sit propitius, & quod preces tuæ non sint irri-  
tæ, dumodo tamen fiant in ueritate, Inq; nomine Iesu: & dum discesseris  
ab iniuitate. Quoniam Deus peccatores peccatis peccata addentes, non  
audit. Sicuti in multis locis sacræ testantur literæ.

## XVIII.

Catholicus agens ueram poenitentiam, qualis in sancta & Apostoli-  
ca agitur ecclæsia, quæ tribus constat partibus. Nempe contritione ue-  
ra, confessione pura omnium peccatorum, quæ alicui diligenti examinatio-  
ne facta occurruunt, & satisfactione perfecta, certo credere & confidere de-  
bet, se merito passionis Christi. Quod ei in sacramento absolutionis com-  
municatur: accipere remissionem peccatorum, iustificationem, & uitam  
æternam, dumodo tamē in fide recta, & integra, specijs firma, ac in dilectio-  
ne Dei & proximi, quæ in obseruatione mandatorum Dei consistit: in fia-  
nem usq; perseverauerit. Juxta illud beati Ioannis Apostoli & Euangeliste  
Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectione uitæ. Qui uero mala ege-  
rūt, in resurrectione iudicij. Et iuxta illud apostoli, An nescitis quia inqui-  
regnum dei non possidebunt?

Rogamus autem uos fratres, ut obseruetis eos, qui  
dissensiones & offendicula, preter doctrinam, quā  
uos didicistis faciunt, & declinate ab illis. Doctris  
nisiq; uarijs, & peregrinis, nolite abduci.

Deus autem pacis, conteret satanas  
nam sub pedibus uestris uelociter.  
Amen.

Soli Deo honor, gloria,  
& imperium sepieternū,  
in secula seculorum.  
AMEN.

M. D. XLI.